

EPISTULA LEONINA

LIII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XLI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

**EN HABES EPISTULAM LEONINAM
 QUINQUAGESIMAM TERTIAM (53) !**

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS

SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod post pausam nimis longam mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam quinquagesimam tertiam.

*Laetê tibi annuntio **RAPTOREM HOTZENPLOTZIUM**, i.e. lepidissimum illum libellum puerilem ab Otrido Preußler scriptum, nunc tandem a me in Latinum conversum e domo Leonis Latini in lucem editum esse.*

*Hac in Epistulâ Leoninâ quinquagesimâ tertiâ agitur de **Ferdinando a Schirach** defensore poenali, qui narrationibus suis criminalibus in claritudinem pervênit. Praebentur tibi symbola Wikipediana de Ferdinando scripta necnon duo colloquia interrogatoria, quae Ferdinandus habuit cum diurnariis. In proximis Epistulis Leoninis sequetur oratio Ferdinandi de veritate iuridicâ et narratoriâ habita necnon narratio Ferdinanda in Latinum conversa.*

Utinam quam plurimê placeat tibi lectio huius Epistulae Leoninae Quinquagesimae Tertiae.

Pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Lunae, 26. m.Aug. a.2013



**AMICUS PLATO, AMICUS ARISTOTELES,
MAGIS AMICA VERITAS.**

**ISAAC NEWTON
(1642-1726)**

DE RAPTORE HOTREINLOTZIO

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoria, quae appellatur
LEO LATINUS

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur **LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM**

De Raptore Hotzenplotzio

Hanc fabulam puerilem Theodiscê scripsit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß

„De Raptore Hotzenplotzio“ (titulus originalis: „*Der Räuber Hotzenplotz*“) est fabula puerilis Otfriedi Preußler Germani auctoris. Haec fabula a. 1962 primum edita est.

Raptor Hotzenplotzius rapinationibus suis audacissimis territat homines totius regionis. Cum iste raptaverit etiam aviae machinulam cofeariam, Casparulus atque Iosephulus indignatissimi statuunt, ut raptorem capiant et tradant astyphylaci Dimpfelmosero. Infeliciter ipsi raptori Hotzenplotzio contingit, ut ambos capiat. Sed quia iidem integumenta capitum inter se permutaverunt, ipsi a raptore inter se confunduntur; ita fit, ut Hotzenplotzius malo mago Petrosilio Zwackelmanno sub nomine Iosephuli vendat Casparulum pro uno tantum sacco tabaci sternutatorii.

Casparulus, cum aliquanto post in castello magico forte fortunâ inveniatur fatam Amaryllidem, quae a mago in bombinam mutata est, non cessat illam adiuvere...

Haec fabula laureata, quae iocorum tam plena est tantamque habet expectationem, ut animi puellarum puerorumque audientium legentiumve vehementer soleant inflammari, usque nunc in triginta quattuor (34) linguas translata erat. Ergo haec versio Latina, quam manibus tenes, cara Lectrix, care Lector, est translatio Hotzenplotzii tricesima quinta eademque Latina. Si Tibi placuerit, commendamus Tibi alias versiones Latinas fabularum modernarum, quae in domo Leonis Latini editae sunt, e.g. “Recitatorem” Bernhardi Schlink (orig. “*Der Vorleser*”) necnon “Fragrantiam” Patricii Süskind (orig. “*Das Parfum*”) fabulas theodiscas veste Latinâ indutas.

Ergo visas, quaesumus, domûs Leonis Latini editoriae situm interretialem:
www.leolatinus.com



Otfried Preußler, *Der Räuber Hotzenplotz*
© 1962 by Thienemann Verlag (Thienemann Verlag GmbH)
Stuttgart/Wien, www.thienemann.de

Editio Latina:
Copyright © 2013 by LEO LATINUS
spqr@leolatinus.com
ISBN 978-3-938905-33-3



Recitator

Fabula romanica
quam theodiscè scripsit
Bernhard Schlink

in Latinum convertit
Nikolaus Groß




Editio prima
in domo editoriâ, quae appellatur
LEO LATINUS

Senden in oppido Bavariae Suebicæ
a. 2012

Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directè per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !

Ferdinand von Schirach

Symbola a Nicolao Groß e Wikipediâ encyclopaediâ liberâ excerpta et Latine reddita.



Ferdinand von Schirach (2009)

Ferdinandus a Schirach (i.e. *Ferdinand von Schirach*, natus a.1964 Monaci Bavarorum) est Germanus defensor poenalis et scriptor fabularum.

Vita et opera. Ferdinandus a Scirach filius est mercatoris Monacensis *Robert von Schirach* (1938-1980) eiusque uxoris *Elke* (a.1942 nata e gente *Fähndrich*) et nepos *Balduri a Schirach* ducis iuventutis regni tertii (quale dictum erat). Ferdinandus Monaci et Trossingae (ubi adolevit et frequentavit collegium Iesuitarum Sancti Blasii, de quo propter casûs abusûs sexualis in periodico, c.t. "*Der Spiegel*" (Speculum Hammaburgense) symbolam scripsit. Postquam Bonnâ in urbe iurisprudentiae pernoscendae studuit et Coloniae Agrippinae et Berolini absolvit referendariatum, a.1994 suscepit munus advocati, quo

praesertim fungitur in disciplinâ iuris poenalis. Ferdinandus de Schirach habetur pro “advocato hominum eminentium”; e.g. defendit *Norbertum Juretzko* speculatorem ipsius BND (*Bundesnachrichtendienst* = officium nuntiorum foederale) necnon in causâ, quae appellatur a grapheo politico (“*Politbüroprozess*”), defendit *Guntherum Schabowski*. Idem Ferdinandus in casu Liechtensteiniano innotuit eo quod officium nuntiorum foederale ratione poenali denunciavit et eo quod nomine familiae *Nicolai (Klaus) Kinski* histrionis mortui denunciavit tutorem datorum Berolinensem, qui comprobavisset actorum medicinalium ad illum spectantium publicationem. Ferdinandus munere suo non fungitur nisi in provinciâ iuris poenalis. M. Aug. a. 2009 Ferdinandus publicavit librum, qui inscribitur *Verbrechen* (i.e. “Scelera”) in domo editoriâ Piperianâ. Idem liber per 54 septimanas immansit indici librorum plurimum divenditorum Speculi Hammaburgensis. Liber Scelerum Schirachianus cum a ceteris editum ab Aedibus Francogallicis, quae appellantur *Editions Gallimard*, ab Americanis *Alfred A. Knopf, Inc.*, ab Anglicis *Chatto and Windus*, ab Hispanicis *Salamandra*. Liber audibilis, c.t. “*Verbrechen*», qui recitatur a *Burgharto Klaußner*, a. 2009 editus est in aedibus, quae dicuntur «*Der Audio Verlag*».

Associatio, cui nomen est *Constantin Film*, emit iura huius libri cinematographica. *Doris Dörrie* dissignatrix primam fabulam tomi narrationum plurimi divenditi, c.t. *Verbrechen*, ad cinema redegit. Casûs criminales ex tomo narratiuncularum, c.t. *Verbrechen*, excerpti serie emissionum minore monstrabuntur in secundâ statione televisionis Germanicae (ZDF). Eâdem in serie emissionum *Josephus Bierbichler* personam gerit advocati *Friderici Leonhardt*, productior est *Oliver Berben*.

M. Aug. a. 2010 etiam in domo editoriâ Piperianâ, editus est alter liber Schirachianus, c.t. est *Schuld* (i.e. Culpa). Sicut tomus Ferdinandi primus (c.t. *Verbrechen*), alter quoque continet breves narrationes, quae spectant ad officium advocati cottidianum. Postquam editus est, statim positus est in primo loco indicis librorum plurimum divenditorum, quem publicare solet Speculum Hammaburgense. Eiusdem libri editioni audibili attributum est Praemium libri audibilis Germanicum a. 2011. Associatio *Constantin Film* emit etiam huius libri iura cinematographica.

Aliae Ferdinandi narrationes publicatae sunt in Ephemeride Austrogermanica (“*Süddeutsche Zeitung*”) et in Comuni Ephemeride Francofurtensi (*FAZ* = “*Frankfurter Allgemeine Zeitung*”) et in Speculo Hammaburgensi. Ex mense Iunio a. 2010 idem auctor scribit in Speculo symbolam columnarem, c.t. est “*Einspruch*”.

M. Sept. a. 2011 Ferdinandus a Schirach publicavit, iterum in domo Piperianâ, librum, qui inscribitur “*Der Fall Collini*”; quo assecutus est indicis Speculi librorum plurimum divenditorum locum secundum. Quo libro narratur,

quomodo interfectus sit *Iohannes Meyer* vir industrialis, qui olim in Italiâ fuerat officarius nationali-socialisticus. Describitur causa iuridica difficilis, quae non perficitur, quia reus ipse mortem sibi consciscit. Agitur de iudiciis iudicum Germanorum tempore postbellico factis, qui auctores scelerum nacisticorum clementer iudicaverunt, necnon de problemate praescriptionis longi temporis, quae facta est in homicidiis adiutis lège valente, ad quam scribendam *Eduardus Dreher* iurisconsultus maximê effecit.

Die, quo hic liber Ferdinandi publicatus est, diurnarii televisorii emissionis, c.t. “*Tagesthemen*”, de illo rettulerunt. In ephemeride «*Welt*» «Casus Collinianus» dicta est «fabula perspicuitate vitreâ, horrendâ immoralitate», in periodico «*Focus*» “res, qua litteratura theodisca feliciter foveatur”. Ferdinandus a diurnariis ephemeridis “*Zeit*” interrogatus declaravit se non curare, quis necavisset, sed qua de causâ. In symbolâ Speculi Hammaburgensis Ferdinandus primum dicit de avo suo *Baldur von Schirach*. Ibi etiam scribit se fabulâ Collinianâ nolle retractare historiam gentis suae, sed se scribere de “*re iuridicâ postbellicâ, de iudiciis rei publicae foederalis, quae iudicaverunt crudeliter, de iudicibus, qui pro omni homicidio nacistae nihil poenae constituerunt nisi custodiam quinque minutarum. Hic liber spectat ad scelera in nostrâ re publicâ facta, de ultione et culpâ et rebus, quae agenda nobis hodie quoque male succedunt.*”

In periodico “*Cicero*” scriptum est sermonem Ferdinandi esse obduratum et accuratê computatum, eundem virum, aliter ac *Bernhardum Schlink*, vehementer defendere partem victimarum.

**Hanc symbolam Wikipedianam
e theodisco sermone in Latinum convertit
NICOLAUS GROSS**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

http://www.wienerzeitung.at/themen_channel/wzliteratur/autoren/?em_cnt=422098

symbola die 26.12.2011, h.16:59 divulgata

Ferdinandus a Schirach de responsabilitate, de casu Fritzliano, deque suo avo interrogatus

Solâ potestate verborum

Theodiscê scripsit Claudia Böhm, in Latinum convertit Nicolaus Groß.

***Hic iurisconsultus hōc anno edidit primam suam fabulam romanicam, c.t.
“Causus Collinianus”.***

Hōc anno advocati *Ferdinandi a Schirach* prima fabula romanica publicata est, quae inscribitur „Causus Collinianus“. Qua in fabulâ Ferdinandus narrat, quomodo homines, qui in bello scelera commiserant, in Germaniâ postbellicâ tractati sint. Îdem iurisconsultus innotuit tomis suis fabularum breviorum, quorum tituli sunt “Culpa” et “Scelera”. In quibus scribendis retractavit casûs iuridicos proprios. Cum Ferdinandus raro concedat colloquia interrogatoria, tum in Austriâ nulli ephemeridi nisi nostrae, c.t. “Ephemeris Vindobonensis”.

Ephemeris Vindobonensis: Quare voluisti fieri advocatus?

Ferdinandus a Schirach: In familiâ meâ ex aliquot centum annis sunt iurisconsulti, quorum plerique fuerunt iudices aut professores. Ergo mihi haud ita alienum fuit advocatus fieri. At semper solum volui fieri defensor poenalis. Placet mihi “principium Davidis contra Goliathum pugnantis”: Unâ ex parte stant actores publici magno cum suo apparatu, qui adiuvatur ab aliquot milibus astyphylacum et administratione bene operanti. Deinde sunt iudices eorumque potestas ingens, qua homines lêge includant. Si es defensor poenalis, es solus in oeco iudiciali, nihil habes nisi linguam verborumque potestatem, argumentorum perspicuitatem. Ipsa haec condicio mihi placet.

***Ius poenale, si comparatur cum iure civili, dicitur esse panis
expers. Tunc pecuniam haud magni facis?***

Nescio, num hoc conveniat. Ius civile est panis expers, si advocati res parum succedit, ius poenale non erit, si quidem rem tuam bene feceris. Ut verum confitear, equidem pecuniam non valdê cupio. Equidem nolo celocem, non ludo pilamalleo, et pleraque lautia mihi videntur ridicula.

***Quomodo fieri potest, ut tibi munera mandentur a viris tam
insignibus, quam sunt Guntherus Schabowski (vir quondam
politicus illius DDR, adn.) et Norbertus Juretzko (auctor librorum,
quibus actiones officii secreti Germaniae revelantur, adn.)?***

Ignoscas, quaeso, sed hoc est secretum illorum, qui mihi mandant. Sed e principio haec res est simplex: Oportet res quas facis, facias bene. Si

tu pistor soles furno coquere paniculos malos, tibi quoque professio evadet difficilis.

Qua ratione statuis, quem casum suscipias?

Non est mihi ratio generalis. Perpauca casûs tracto, anno fortasse quinos aut senos, multo pauciores quam plerique defensores poenales. Oportet sit res mihi nova, qualem nondum habuerim. Et oportet credam me posse aliquid efficere. Exempli gratiâ talem casum, qualis est illius *Fritzl*, non defenderem – nam in eodem statim certum fuit, quanta foret poena. Nec suscipio casûs iuridicos, in quibus hominibus obicitur abusus infantium sexualis. Nec defendo radicales partis dextrae.

Si iterum iterumque cognoscis scelera maximê terribilia, num adhuc terreris?

Facinus ipsum ferê semper est atrox atque terribile. Itaque tot fiunt cinemata criminalia, in quibus audis modos musicos minaces, vides in crepusculo opaco corpus hominis nudum et cruentum. Sed si accuratius rem perspexeris, aliter senties. Et ferê numquam facinus est dignissimum tractatu. Dignior est tractatu hominis culpa.

Num casûs iuridici adhuc movent animum tuum?

Nisi moverent, nova professio mihi esset quaerenda. Ubi primum causa iudicialis defensori facta est res usu trita, oportet îdem desinat defendere. Nam alioquin non iam esset defensor, sed cynicus. Vita esset misera et angusta. Tali animo equidem non possem vivere.

Si quem defendis, magnum periculum in te recipis. Nonne hac re graviter laboras?

Scilicet. Omnis causa assisarum¹ magna est valdêque molesta et laboriosa. Quae fit pars vitae meae.

Potesne adhuc homines adire tibi ignotos sine ullâ opinione praeiudicatâ an hominibus aspectis statim soles iudicare in antecessum secundum casûs, quos iam expertus es?

Vitâ procedente mutata est ratio mea de hominibus iudicandi. Cum essem patronus iuvenis, primo vidi homines eiusque facinora, qualia in mundo meo civili non erant. Brevi post coepi omnia mihi circumiecta aliter spectare deque hominibus aliter iudicare. At quo vetustior fio, eo magis vereor, ne iudicem. Fortasse maximê iuvat vitam considerare animo aperto. Iuvat aspicere neque decernere.

Describisne in libro tuo novo, c.t. „Causa Colliniana“, quomodo inchoatum sit curriculum tuum professionale?

Si scribis, ines omni personae dramatis. Cum libro multae insint scaenae, quales ipse expertus sum, hic liber maximê spectat ad vitam meam ipsam omnium, quos usque nunc scripsi. At in initio nullum casum tractaveram huiusmodi.

¹ causa assisarum – theod. *Schwurgerichtsprozess*. Angl. *jury trial*;

Multis infantiae descriptionibus, quae insunt „Casui Colliniano“, in memoriam revocatur infantia propria. Prius homines egerunt phantasiâ.

Fortasse hoc est verum. Prius cum animi infantium minus averterentur, iisdem magis agendum erat secum ipsis. *Vladimirus Nabokov* aliquando dixit nullam creativitatem posse oriri nisi molestiâ temporis, qua infans afficeretur.

In "Casu Colliniano" suntne etiam memoratae res quae spectant ad vitam avi tui, cui nomen fuit Baldur von Schirach, qui fuit „dux pagi Vindobonensis“?

Non insunt. *Hans Meyer* in libro meo commemoratus iussit telis necare viginti partisanos. At cum avus meus mandaverit, ut deportarentur Iudaei ex urbe Vindobonâ, eius culpa non iam est mensurabilis. Equidem non scribo de viris aetate socialismi nationalis viventibus. De his nihil scio nisi ea, quae milies iam dicta et investigata sunt. Equidem magis cupio scribere de mundo nostro hodierno. Scribo de iudicibus aetatis postbellicae, de iudicibus rei publicae foederalis, qui crudeliter iudicaverint, de iudicibus, qui pro omni homicidio alicuius homicidae nacistae poenam constituerunt quinarum tantum minutarum. Hic liber spectat ad scelera in nostrâ re publicâ facta, ad ultionem, ad culpam, ad eas res, quas nos hodierni quoque parum rectê faciamus. Credimus enim nos esse securos, sed fallimur: Fieri potest, ut libertatem nostram iterum amittamus. At eandem si amittamus, amittamus omnia.

**Hoc colloquium interrogatorium
in ephemeride *Wiener Zeitung* publicatum
e theodisco sermone in Latinum convertit
NICOLAUS GROSS**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

BERLINER MORGENPOST

<http://www.morgenpost.de/kultur/article1868693/Schirach-will-nicht-urteilen-sondern->

Schirach non vult iudicare, sed intellegere

Die Saturni, 31. m.Dec. a.2011 h.08:02 - Scripsit Matthias Wulff, Latine reddidit Nicolaus Groß

His annis praeteritis nullus auctor Germanus in tantam claritudinem internationalem pervênit quam *Ferdinandus a Schirach* Berolinensis. Relator periodici, quod appellatur *Morgenpost Online*, locutus est cum defensore poenali de magnis vitae quaestionibus: de amore, de fortunâ, de rebus moralibus.

Colloquio nostro finito (quod factum est septimanâ Natalis Domini) is vir dicit hoc non fuisse ultimum huius anni colloquium interrogatorium. Se hîc anno etiam collocaturum esse cum diurnario Argentino. Interim îdem novit diurnarios totius orbis terrarum. Nullus auctor Germanus alter his annis praeteritis tam celeriter in claritudinem pervênit internationalem quam *Ferdinandus a Schirach*. Îdem patronus, qui natus est a. 1964, sêro coepit libros scribere: a.2009 editus est primus eius tomus fabularum breviorum, qui inscribitur „Scelera“ („*Verbrechen*“), a.2010 secuta est „Culpa“ („*Schuld*“), hîc anno edita est eius prima fabula romanica, c.t. est „Casus Collinianus“ („*Der Fall Collini*“). M.Febr. a.2012 spectari potest cinema secundum eius fabulam breviorum factum, quae inscribitur „Felicitas“ („*Glück*“). Scaenarum dissignatrix fuit *Doris Dörrie*.

Morgenpost Online: Domine a Schirach, insolitum est, quod libri tui etiam plurimê divenduntur in Iaponiâ atque Coreâ australi.

Ferdinand von Schirach: Frater meus nuper mihi misit imaginem in Australiae regione reconditâ factam, in qua spectatur bibliopolium illius regionis longê latêque unicum, et in eius speculari stat unus e libris meis. Ego quoque hoc non intellego.

Morgenpost Online: Qua re animi lectorum tuorum attrahuntur? Violentiâ, malo, vi suspensionis?

Ferdinand von Schirach: Nescio. Non inest his libris effectus formidandi, in iisdem non decoriantur mulieres. Non cupio describere homines psychopathicos: Tales in vitâ verâ raro inveniuntur. Qui sunt homines prorsus insani, quorum limen emotionale multo altius est quam nostrum. Qui nihil sentiunt, nisi agunt crudeliter. Hoc me non tangit.

Morgenpost Online: Tua interest scribere, quomodo homo communis subito mutari possit.

Ferdinand von Schirach: Ita est, agitur de homine communi. Si tu post colloquium nostrum aliquem in viâ occîdes, hoc est res notabilis, quia tu es homo talis, quales sunt plerique. Si tales homines necant, hoc faciunt aut amore aut cupiditate.

Morgenpost Online: Equidem eligo amorem.

Ferdinand von Schirach: Melius elegisti. Cupiditate considerandâ celeriter fastidimus.

Morgenpost Online: *Richardus Ford* dicitur dixisse: Quid vir et mulier inter se agant nemo scit nisi iidem ipsi. Tu autem et patronus et auctor conaris hoc investigare.

Ferdinand von Schirach: *Richardus Ford* rectê sentit, sed res est etiam peior: Saepe ne ipsi quidem hoc sciunt. Nulla sunt verba, quibus explicari possit tota ratio, quae intercedat inter homines, disputationes inter amantes faciendae ferê semper evadunt improspere. Itaque etiam in causâ iuridicâ nihil narrari potest nisi historiae, eventûs, imagines. Hae res, quibus tangamur, alicubi sunt in nos abditae, iacent in tenebris. Si historiam audimus, videmur nos eam recordari. Principio tum recordamur nos ipsos. Interdum hîc modo subito intellegimus causas facinoris.

Morgenpost Online: Vidêris te gerere more Laconico hominesque considerare tales, quales sint, et tamen tuâ interest indagare causas illorum faciendi.

Ferdinand von Schirach: Unum altero non excluditur.

Morgenpost Online: Solet quidem excludi.

Ferdinand von Schirach: Hominis cynici est res sic considerare. Equidem res tales considero, quales sunt. Conor non iudicare, sed conor intellegere.

Morgenpost Online: Ipsi iudices, ut didici ex aliquo libro tui, clementius iudicant, si causam facinoris intellegant.

Ferdinand von Schirach: Ita est. Fac te nunc cauponam relinquere, cauponem arcessere astyphylaces, quia furatus est fuscinulam. Scilicet te apud astynomos tacere posse et oportere, ut taceas. At postea si constiterit te furatum esse fuscinulam, iudex deliberabit: Curnam is diurnarius hoc fecit? Si perrexeris tacere, durius puniêris, quia iudex nescit, quid factum sit de te. At si dixeris tibi magnum esse desiderium fuscinulas tecum auferendi et tibi domi esse iam duo milia fuscinularum ...

Morgenpost Online: ... iudex me mittet in morocomium, et numquam dimittar ...

Ferdinand von Schirach: ... propter tale facinus non mittêris in morocomium, ne solliciteris. Iudicis interesset plura audire de causâ facinoris tui. Fortasse illi diceres fratrem tuum maiorem tibi prius semper abstulisse fuscinulas aut te iam puerum admiratum esse Neptunum. Volumus intellegere, quare homo faciat id, quod facit.

Morgenpost Online: Quare tam vehementer aestuamus in casu, i.e. rebus forte Fortunâ factis explicandis? Res fiunt, raro ita evadunt ut optavimus, et tamen studemus ex eventu res explicare?

Ferdinand von Schirach: Hoc pendet ab indole hominis propriâ: Sunt homines, qui semper sint studiosi, qui semper velint mundum mutare. Tales non patiuntur res fortuitas, credunt se posse aliquid assequi.

lesuitae dicebant sententiam pulchram: *In medio virtus*. Si quis est iuvenis, hoc non credit. Qui credit nihil valere nisi magnas mutationes et res insolitas. Si quis fit vetustior, intellegit in hac re rectê iudicare lesuitas.

Morgenpost Online: Cogitaram viros quandam aetatem assecutos sibi emere autocinetum Porschianum et petere puellam 25 annos natam, ut fiat aliquid novi in vitâ suâ.

Ferdinand von Schirach: Hoc licet sit nonnullis aliquod genus libertatis.

Morgenpost Online: Si iisdem delectantur, quidni?

Ferdinand von Schirach: Rectê dicis. Non licet hoc condemnare. At equidem puto, si mihi cum amicâ colloquendum esset de cursibus in universitate ab illâ eligendis, futurum fuisse, ut mihi ipsi viderer admodum ridiculus esse. At scilicet valeat illud: Vivat omnis suo modo.

Morgenpost Online: Quid tibi videtur esse illud feliciter vivere?

Ferdinand von Schirach: Est quidam finis, quem nos omnes petamus.

Morgenpost Online: Ille auriga Porschianus, cui est iuvenis consocia, fortasse est felix.

Ferdinand von Schirach: Fortasse ille felix est eo momento temporis, quo tectum autocineti vespere vernali aperit, illa autem manum genui viri imponens dicit se eum amare, quia tam peritus sit – ita, fortasse hōc momento temporis. Hoc multum valet, sed non diu durat. Postea reveniunt res solitae, parvae rixae, magna relictio. Nōvi mulierem, quae semper semperque id finem sibi proponit, ut habeat peram manualementem, quae constat septem milibus euronum. Quae omnia facit pro hac perâ manuali, somniat de eâ, reverâ credit hac perâ manuali se fore felicem. Aliquando haec mulier in tabernam it illamque êmit. Per septimanam reverâ felix est, cum illâ perâ ambulat, nocte illam ponit iuxta lectum. At felicitas non diutius durat unâ septimanâ, deinde omnia denuo incipiunt: Nunc alia pera manualis est in speculari, tota infelicitas redintegratur, petitio, animi fictio, somniatio.

Morgenpost Online: Equidem iuvenis semper cogitabam iucundissimum sanê habitari in habitaculo aedificii vetustioris, altis lacunaribus, magnis conclavibus instructo. Quod habitaculum quamvis me non reddiderit feliciorum, tamen petitio talis habitaculi habendi hodie quoque non videtur ridiculum.

Ferdinand von Schirach: Nihil huiusmodi est ridiculum. Ius felicitatis declaratur ipsâ in constitutione Americanâ. Sed res est intricatior. Homo petit duas res: Qui vult dolores evitare et vult fieri felix. Aliquando id aliquatenus assequimur, ut dolores evitemus, sed multo difficilius est assequi felicitatem: nobis non contingit, ut eandem comprehendamus. Cur? Quia talis est felicitas ipsissima: quae est fugax, volatilis, semper est res a nobis petenda, quam numquam assequimur. Si – ut illa mulier perarum manualium amatrix – numquam cognoveris felicitatem non esse statum diuturnum, sorte suâ numquam contentus eris. Si licet eligere,

utrum sis animo infelici an contento, equidem praefero animum contentum. Autocinetum meum habet iam viginti annos, non desidero autocinetum Porschianum, et tectis autocinetorum apertilibus mihi quidem videtur nimium strepitûs fieri. Credimus semper illam mulierem nos praetereuntem esse meliorem eã, quam amplexi ambulamus. At istud credimus stulte.

Morgenpost Online: In hac re tibi non contradico.

Ferdinand von Schirach: Aliquando homo animadvertit melius esse sibi ipsi non nimis magnam vim attribuere.

Morgenpost Online: Quare *Ernestum Hemingway* tam magni aestimas?

Ferdinand von Schirach: Apud Ernestum primâ sententiâ perlectâ iam ines mediae ipsi fabulae. Rebus, quas îdem auctor dicit, equidem tangor. Omnis habet auctores, qui sibi ipsi scripserint.

Morgenpost Online: Hemingway dixit oportere, ut oblivisceremur tragoedias nostras personales, nos esse ex initio fascinatos, et neminem serio scribere nisi eius animus antea pergraviter sit laesus. Rectêne is auctor sentit an illud dictum est nihil nisi unum ex illis, quae effecta sunt Hemingwayano furore virilitatis?

Ferdinand von Schirach: Etiam *Valtherus Kempowski* dicit nos in mundo esse positos incurvos et obliquos. Ego quoque hoc credo. Sed quod spectat ad animum auctoris laesum – in hac re Ernesto non assentior. Is qui sciat fabulas scribere, quadam est indole, alii est alia indoles. Fortasse is qui est animo laeso, plura cupiat scribere de animi commotionibus. Hôc sensu fortasse illa sententia aliquatenus quadrat.

Morgenpost Online: *Carolus Theodorus a Guttenberg* et *Christianus Wulff* hôc anno propter facta sua parum cum legibus congruentia a diurnariis plerisque civibus ceteris graviter vituperati sunt. Suntne horum casûs inter se comparabiles?

Ferdinand von Schirach: Saltim non dissimiles. *Wulffius*, qui est humili loco natus, studet cum divitibus congregari – quod quamvis non sit poenale, civibus est iniucundum. Necnon vir nobilis (i.e. *Gutenberg*) <*ratione parum honestâ, adn. interpretis*> studet accipere titulum academicum. Utrumque mihi videtur esse perquam ridiculum.

Morgenpost Online: Guttenbergius mihi eo videtur vituperabilior, quod iam adoleverat cum privilegiis – ei nullo modo necesse erat titulum doctoris petere exmuccando (orig. *erschummeln*).

Ferdinand von Schirach: Tibi assentior. Tamen restant indecora etiam ea, quae fecit ille vir alter, cuius fuit nos omnes repraesentare.

Morgenpost Online: Nonne nimiam morum integritatem postulamus a viris politicis?

Ferdinand von Schirach: Non nimiam postulamus. Munus enim <*praesidentis foederalis, adn. interpretis*> est munus publicum, quod coniunctum est multis cum privilegiis et is, qui idem petit, oportet satisfaciat postulatis maioribus. Scilicet is oportet ne sit affectus

integritate nimis simplici et immaturâ. Tales enim homines solent esse illepidi. Meâ quidem sententiâ optimus praeses foederalis esset talis vir qualis est ille *Stechlin* senex a *Theodoro Fontane* descriptus: vir aliquanto difficilis et morosus, qui de rebus clarê iudicat et adversus omnes errores et infirmitates est vir probus et sincerus. Equidem non amo inanem verborum. Fortasse eâ de causâ *Gauck* fuisset praeses optimus: De eius opinionibus sentias quidquid vis: sed patet eidem viro esse gravitatem. De hac autem virtute denique agitur: de gravitate.

**Hoc colloquium interrogatorium
in ephemeride *Berliner Morgenpost* publicatum
e theodisco sermone in Latinum convertit
NICOLAUS GROSS**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**HANC EPISTULAM LEONINAM
QUINQUAGESIMAM TERTIAM**

EL 53

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT

d. Lunae, 26. m. Aug. a.2013

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>